



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani[i] Amor Divinvs

Scribanius, Carolus

Mogvntiæ, 1616

Cap. IX. Suspiria animæ amore languid[a]e.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46242)

ris ferro & iaculis, quibus confixus
 anhelū pectus vulnere tuo sauium
 traham tibi amor meus: & ab ingen-
 ti non inglorio vulnere tuo amicam
 hanc animam deuomam in sinum
 tuum. Tuq; illam, vltimaq; mei tot
 votis desideratis manibus liga tuis.
 Tua claudantur dextera amica hæc
 lumina, cuspide tua fatifcentia. Tuis
 componatur manibus hic vultus, o-
 raq; extremum spiritum in patulum
 latus tuum diffudentia. Concede
 hoc amor meus, vt viuam iam non
 ego, viuam tuus, tibiq; meliore iam
 vita vulnere tuo æternū donatus.

CAPVT IX.

*Suspiria anima amore lan-
 guida.*

VBi sum? & tu vbi es amor meus?
 Langueo, vbi est læguoris vnica
 medela mei? Langueo. Quid mihi
 cū aceto, aqua, vino? non reuocatur
 anima

anima liquoribus, nisi te ipsum felici
 metamorphosi vertas in acetum, a-
 quam, vinum. Quid mihi cum fric-
 tionibus manuum & frontis? nisi
 tuis manibus fiat hæc frictio, nulla
 proderit frictio. Quò mihi reseratio
 fasciæ pectoralis, nisi tu amor meus
 inuoles in hoc pectus? Languo. Quid
 arteriam tentas, aut obseruas animam
 lento grauem suspirio? tuo solius fe-
 lici pulsu, animatione tua redit hæc
 anima. Languo, & iam frigus obse-
 dit artus. Quid admoues ignem? nul-
 lus ignis frigus hoc pellet, nisi ignis
 tuus, quo incalesco solo. Languo, v-
 bi es qui solus leuare languorem po-
 tes? inimica languenti mora. Morior,
 & tu moraris? permitte saltem vt in
 sinu moriar tuo, vt inter amara vbera
 vltimam emittam animam. ô sinus,
 ô vbera testes languentis anime vos
 colo, vos veneror; accipite hanc ani-
 mam, & recõdite exspiratam in hoc
 amoris sepulcro. An relinquitis insep-
 ultam?

pultam? Durus amor, negabis terram
mortuo? at mihi terra nulla est, præ-
ter vbera tua, pectus tuum. Huic ter-
ræ conde animam, & da hoc solamen
mortuo, qui negasti viuo.

Languedo, & iam vltimū spiritum
traho, & tu abes. Vbi sunt miserationes
tuæ? nam quæ hæc commiseratio
deserere amātem? ô veni. nam si mo-
rior te absente, quid inscribam mo-
numento? hoc vnū, sine vulnere ia-
ceo, Languor condidit, amor pemit-
durum mortis genus. ô si generosius,
nec tam in gloria occumberem mor-
te! vulnera saltem si ostentarem ad-
uerso pectore: si toto iugulo excepis-
sem interritus tuum ferū: si sangui-
nem hūc agnoscerem in tuo balteo,
caderem lætus nobili confossus dex-
tera. Nunc languedo, & sine vulnere
morio. Ignauum mortis genus. Ve-
rū vbi es, vt vel perimas, vel reficias?
ô si veneris! lego te dimitta, aut elabi
patiar? antè moriar. Verū abeun-

B b dum

dum tibi. duc me tecum, comitabor
 quocūq; terrarum, per dura & mol-
 lia, per aspera & lenia, per prærupta &
 plana. An refugis hoc onus? nullum
 pondus amāti est, nec grauat. amās
 amante: ideoq; leue onus amans est.
 imò nullū onus amās est; alas habet,
 & pluma leuior amans omnis est. sit
 rupes, si amat, quauis festuca leuior
 est. sit mons, si amat, quouis puluere
 leuior est. sit immane plumbi ferriq;
 pondus, si amat, quauis penna leuior
 est. Largire ô amor amorē hunc mi-
 hi: quo fultus, quidquid hic magnū
 & arduum, discutiam vt pilam, dif-
 flem vt festucam vēto raptam, vt ce-
 locem tempestatibus actam; omni-
 bus minis, tormentis, fortunæ polli-
 citationibus, opum, honorum, gau-
 diorumq; ostentatione, sponsioneq;
 maior. Nam quid potest esse graue
 amanti? nimbi, grandines, tonitrua,
 fulmina, terræmotus, tempestates
 quocunq; vento natæ, arma, hostiles
 acies,

acies, & quidquid terrorum profu-
dit orbis, cæli, inferiq;: plumea sunt,
& arundine mapalia rustica manu
texta, cùm in amantem inciderint.
Nihil hic Herculeæ manus quacũq;
cl:ua aut cæstu armatae, nihil prodi-
giosum gigantum robur, cùm in a-
mantem incurrerit. Goliades omnes
cadent hac amoris funda, hoc filice
ab amoris torrentibus nato. Im, I. ô
amor amore hoc tuo pectus. Nã qd
metuam lorica hac indutus, clypeo
tectus, armis cinctus, propugnaculo
vallatus? nõ si quidquid vsquam ex-
tra te validum fuit eritq;. Annue ô
amor æternùm meus, vt & ego æter-
nùm sim tuus, donatione, vendica-
tione, amore tuus, æternùm tuus.

CAP. X.

Eructatio animæ amore ebria.

Calix tuus inebrians quàm præclarus Ps. 22.
Est amor me⁹! dulcis super mel &
fauum. Dulce vinum! dulces epulæ!

Bb 2 animæ